Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26355
Copyright: Admont, Benediktinerstift

in divinum. quod omnium difficilium difficillimum est capere quomodo verbum caro factum est, sicut dicit Basilius, quod hoc erat omnium novorum novissimum etc. Et est ratio: quia unio verbi cum natura humana est maxima propter illam summam unionem in deitate (?) trium personarum in una substantia. Quia persona verbi in qua facta est unio naturarum simplicissima est, naturae vero unitae in verbo maxime sunt distantes inter se. Et quia unio illa in quantum dicit relationem unitorum ad invicem ex parte naturae humanae tenetur se habere: quia natura humana dependet realiter secundum esse substantiali ad ipsum verbum; ex parte vero verbi attenditur secundum solam rationem, quia per illam unionem nulla mutatio facta est in verbo. Unde nequaquam simile videtur esse de unione vel assumptione paneitatis mediante corpore Christi ex parte ad ipsum verbum, quia medium istius assumptionis scilicet corpus Christi et alterum extremorum scilicet paneitas sunt creaturae, quae mutuam dependentiam realiter ad invicem plus videntur habere maxime secundum esse actuale, sicut materia et forma mutuo ad invicem dependent secundum esse actuale, quia non materia sine forma nec forma sine materia. Paneitas vero absque virtute verbi nullam naturalem dependentiam haberet ad corpus Christi, propter quod ipsum corpus Christi posset esse medium assumptionis paneitatis.

† qualis requiritur in tali assumptione

hic

† quod ad assumptionem talem requiritur ut

sicut humana natura ex se propter habere dependentiam ad verbum, sicut dicit Augustinus x libro de Civitate dei. Unde non est simile de assumptione paneitatis a corpore et humanitatis a verbo. Vel si esset omnino simile, tunc eque difficile esset utrumque ad capiendum.

Contra. Dicet vero quod artista quilibet capiet, quod sicut albedo trahitur ad esse ethiopis etc., posset dici quod longe dissimilis esset modus et comparatio albedinis ad dentem et ad ethiopem et paneitatis ad corpus Christi, quod est possibile, et ad verbum. Quia albedo habet se ad dentem sicut primum actus per modum actuitatis ad subiectum cui inhaeret et quod denominat. Unde praedicatur denominative de dente, ut dens est albus, et ipsa eadem albedo habet se ad corpus ethiopis ut ad huius rationem totius ratione dentis. Unde de corpore ethiopis vel de ethiope non praedicatur nisi per synodochen, ut ethiops est albus secundum dentem, vel corpus ethiopis est album secundum dentem, et non simpliciter. Sed paneitas haberet se ad corpus Christi non ut primum

Cap. vi. [illegible]